

Homo enim ex solis substantiis componitur, quia est ens per se & non per accidens: E. & subsistentia, ex qua componitur homo, substantia erit. Sicuti unio inter materiam & formam est modus substantialis, ita quoque subsistentia.

§. XXIX. Quæstio hinc inter Authores agitur: *an una subsistentia possit terminare duplicem naturam, & an una numero natura possit terminari à pluribus subsistentiis*: Utrumque fides nos docet: prius enim ex Mysterio Incarnationis, alterum ex Mysterio SS. Trinitatis patescit. In hoc tamen distingvendum venit inter essentiam finitam & infinitam; Infinita tribus potest substare subsistentiis, at finita pluribus subsistentiis simul substare nequit.

§. XXX. Porro quæritur: *Utrum subsistentia separari possit à natura, ut natura destituta subsistentia existere possit*! Sunt qui dicunt, id non solum per absolutam Dei potentiam, sed naturaliter quoque fieri posse. Verum an hoc naturaliter fieri possit, merito dubitatur; Supernaturaliter autem fieri posse, ambabus ipsi largimur manibus: subsistentia enim nec ad essentiam rei requiritur, nec alio modo necessaria est. Unde potest Deus influxum suum generalem præbere naturæ vel essentiæ rei, ut tamen eundem deneget subsistentiæ, & ita subsistentia pereat manente integra rei essentia. Et sicut materia potest conservari supernaturaliter sine forma, quam etiam ut suam perfectionem appetit: ita quoque natura potest esse sine subsistentiæ perfectione.

§. XXXI. Denique disquiritur: *An subsistentia Angelica possit humane uniri nature, ita ut complexum illud & Angelus esset & Homo?* Occamus in 3. q. 1. Bassolis in 7. d. 1. q. 3. affirmativam tenent, dicentes, id nullam involvere repugnantiam, quod ex Mysterio Incarnationis patescit. Humanitas enim formaliter subsistit subsistentiâ τὸ λόγος, atque ex humanitate & subsistentia illa, τὸ λόγος verus constituitur homo ejusdem speciei nobiscum. E. idem erit de substantia creata. Durandus cum Vazquetio objicit, subsistentiam creatam non habere vim naturalem ad sustentandam alienam naturam; sed respondetur, per potentiam obedientialem illud posse fieri.

§. XXXII. Coronidis loco Assertiones quasdam ponimus. Assertio I. est: *Due essentia complete possunt uniri in uno supposito, vel concurrere ad constitutionem unius suppositi.* Hæc Assertio

tio